

AD
DISSERTATIONEM INAUGURALEM
RENVNCIATIONEM IN S. THEOLOGIAE
LICENTIATVM

ET CURSORIAS QVAS DICVNT LECTIONES

VIRI

SVMME REVERENDI, AMPLISSIMI ATQVE DOCTISSIMI

DOMINI

OTTONIS NATHANAELIS
NICOLAI

PHILOS. DOCT. APVD MAGDEBURGENSES AD AEDEM D. D. VDALARICI ET LEVINI A SACRIS VESPERTINIS, ET
ECCLESIASTAE,

MAGNIFICVM ACADEMIAE VICE-RECTOREM

PATRES VENERANDOS, GRAVISSIMOS,
CIVES GENEROSISSIMOS AC PRAENOBILISSIMOS,

EA QVA PAR EST OBSERVANTIA
INVITAT,

SIMVLQVE IN QVAESTIONEM

AN FACULTAS IN VNO CONSISTERE POSSIT

INQVIRIT

CHRISTOPHORVS TIMOTHEVS

SEIDELIVS.

a. CXII. 56.

diss. A
, 56



35) 3 (55
CHRISTOPHORVS TIMOTHEVS
SEIDELIVS

S. TH. D. SERENISS. BRVNSVIC. AC LVNAEB. DVCIS SVPERINTENDENS
GENERALIS, CAPITVLI IMPERIALIS LIBERI REGIO-LOTHARIENS. ABBAS
S. TH. PROF. PVBL. ORD. IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA, ET PROT-
ECCLESIASTES ELMESTADIENS. FACVLT. THEOL. DECANVS ET SENIOR,
ET AD HVNC ACTVM CLEMENTISSIME CONSTITVTVS
PROCANCELLARIVS,

S. P. D.



Non dubitamus, quin casus iste iam
nobis oblatus, omnino dignus sit,
ut plurimorum animos admiratio-
ne perfundat. Cum enim me fortu-
na solum reliquerit superstitem ex
ordine Theologorum in hac Academia: praeter opinio-
nem haec mihi voluptas contingit, ut mox Virum
in conspectum Vestrum producere possim, cuius me-
rita ac Virtutes Licentiam efflagitant, Summos in
Theologia honores rite consequendi. Nouum Vobis
exinde conspicere licet prouidentiae documentum,
qua summus omnium rerum atque fatorum diribitor
adhuc amplexus est illustrem hancce Musarum sedem,
noua Benedictione ac honore illorum ex sinu nostro
rependit merita, qui in Ecclesiae, quae Christo colli-
gitur,

gitur, emolumentum, suas cum laude collocant operas. Exemplum hanc in rem omni exceptione maius crastina die suggestus Theologorum exhibebit publicus, hincque laetitiam vestram iam praegustare videor, cum, uti hucusque in reliquis huius Academiae facultatibus prodire tot Candidati doctrina ac Virtute graues, sic & nunc ex Theologorum castris academiae nostrae ornamentis, nouum accedat augmentum. Sed circumstantiae prorsus singulares, quae Vobis in hac Academia iam prima, de DEVS ultima vice! oculis oberrant, poscere a me omnino videntur, pauca quaedam de disquisitione quaestionis: *An Facultas in uno consistere possit?* delibare.

Per *Facultatem* hoc loco intelligimus collegium peculiare, quod ad societatem maiorem publicam pertinet. *Jura collegialia* sunt, quae aequalia, seu quorum usus & exercitium ab omnibus collegii membris aequali ratione pendet. Hinc quae prono alueo fluunt *Facultatum Jura* facile cognosci queunt. Ex antecedentibus enim definitionibus patescit, *Facultatum Jura* esse *Jura collegialia*, ideoque aequalia. Ad Academiae *Facultates*, quarum plerumque existunt quatuor, si animum animaduertemus: iura ipsarum pro priuilegiorum qualitate ac quantitate differre possunt. Pollent tamen maximam partem Jure, summos in scientia honores bene meritis & dignis conferendi, responsa in casibus dubiis edendi, aliisque priuile-

uile-

nilegiis, quarum recensione nunc supersedemus. Quodsi igitur ex Iurisprudencia uniuersali rationes petere velimus, quibus ad quaestionem supra in medium prolatam responderi possit: deprehendimus omnino, Facultatem in *Vno* consistere posse. Si enim Facultatis iura sunt iura aequalia, uti supra demonstrauimus, facili exinde sequitur negotio, ut, si *unus* modo istius collegii superstes maneat, unus iste & suis & reliquis sodalium nomine Iuribus uti possit. Pluribus id comprobant Iuris Naturalis Doctores, conuincendo nos rationibus solidissimis, societates & sic quoque Facultates unam esse personam moralem, dari posse societatem inaequalem quam & Rectoriam vocant, Societatum Iura & obligationes esse aeque ac singulorum hominum. (a) Quae cum ita sint, dubitari non potest, quin Iura collegialia in socium unicum superstitem legitimo modo transeant, & quin socius iste totam facultatem tamquam personam moralem, nunc in persona physica repraesentet. Luculentissimum quoque & illustre huius rei exemplum ipsa suppeditat Scriptura Sacra. Certiores enim nos facit, temporibus calamitosissimis Eliae Viri Θεοπνεύστου Ecclesiam DEI *visibilem* ad unum rediisse, ad ipsum puto vatem diuinum (b). *Elias* igitur hic *unus* sacrum DEI cultum publicum prosequebatur. Elias hic unus

A 3

visi-

(a) vid. IO. GOTTL. HEINECCII Elem. I. N. & G. P. II. §. 19. sq. & LOSSAEVS in Tr. de Iure Vniuersitatum.

(b) I. Reg. XIX. 14.

visibilem atque externam repraesentabat Ecclesiam. Sic in *uno & altero* Ecclesiam esse posse vere olim scripsit TERTULLIANVS Afer. (c) adeo ut diffiteri non possit, Ecclesiam, quamuis uno homine constitui nequeat, tamen bona sua in uno homine conseruare posse. Iam vero cum Ecclesia sit Vniuersitas, & ut cum Iuris Doctoribus loquamur, plurium corporum collectio inter se distantium, uno nomine specialiter iis deputato: uniuersitas autem haec saltem visibilis ad unum quondam redierit, multo magis id de collegio minore casu accidente fieri potest, cum a maiori ad minus semper tuta valeat consequentia. Obuertere quidem videntur Iuris utriusque periti: Collegium non pauciores quam tres requirere socios (d). Hinc NICOLAVS LOSSAEVS (e) *Collegium*, inquit, *constituitur & consistit tribus personis de iure ciuili*, hanc rationem addens, quare Collegium in duobus consistere non possit, *quia in duobus non inuenitur maior pars, & si esset discordia non posset expediri per duos*, tum enim ob multitudinem negotiorum in Vniuersitate s. collegio contingentium, in quibus maior pars consentire debet. (f) Sed

(c) L. de Poenitentia Cap. XI. conf. *Dannhaueri* Hodosoph. Phaen. 2. p. 117.

(d) ex Leg. 85. D. de Verb. signif.

(e) l. c. Cap. II. f. 57.

(f) L. 160. §. 1. D. de Regul. Iur.

Sed haec omnia nostram non feriunt Thesis. Sicuti enim haec de collegiis ac Facultatibus institutendis intelligi ac interpretari debent: ita Jcti ex altera parte nos docent: *Si Vniuersitas ad unum redeat, Jus omnium in unum recidere, & stare nomen Vniuersitatis* (g). Succurrit & altera illa lex: Immunitas, quamdiu vel unica collegii persona superest, durat. (g) Notes: immunitatem hic sumi pro societate, eiusque Juribus. Secundum *Jus* quidem *Canonicum*, duo constituere possunt collegium, licet *Iura eius & in uno conseruari possint* (h) Omnium autem perspicacissime hac de re loquitur laudatus NICOLAUS LOSSAEVS, cuius verba transcribamus. „Ita autem ille: Vniuersitatis Jus & nomen conseruatur in uno solo, si unus solus remansit de uniuersitate, licet enim uniuersitas constituatur tribus personis, si tamen deueniant ad unum, licet unus non sit uniuersitas, Jus tamen & nomen uniuersitatis conseruatur in illo,,. Haec, quae pro Facultate in uno conspicua ex iure desumimus, exemplo confirmantur ac illustrantur obliuioni nondum tradito. Accidit enim temporibus IOANNIS OLEARII, Theologi Lipsiensis, dum uiueret, incomparabilis, ut intra unum sesquiennium Academia quinque doctoribus Theologis orbata, solus in ista Facultate superstes esset. Quo autem iura facultatis

(g) L. 7. §. 1. D. quod cuiusque ad uniuersitatis.

(h) L. 76. D. de Iudice.

tatis in ipso residua ac conseruata monstraret optima ratione, sollemnem eius rei & luculentissimum testem emittere ipsi contigit ipsis nonis Nouembris, anno aerae christianae clolccxcix. Vndecim enim Licentiatis Theologiae dignissimis Doctorales hoc in ordine contulit honores, in cuius actus maxime notabilis memoriam, exstat adhuc Programma non nisi doctrinam tanti viri spirans. (i) Cum igitur & ratione, & Legibus & experientia euieta sit nostra sententia, facultatem etiam in uno consistere seu conseruari posse, haec omnia iam ad me optimo Jure referre potero. Voluit prouida illa suprema Voluntas, ut aliis sociis meis hac in Facultate, aut vita functis, aut discedentibus, ego per hoc breue, ut spero, temporis interuallum solus superessem; sed voluit etiam, ut Jura quaedam facultatis nostrae non infima, *Solus* exercerem. Ad uberio rem adhuc auctoritatem hanc in rem munendam, SERENISSIMVS PRINCEPS AC DOMINVS, DOMINVS CAROLVS, DVX BRVNSVICENSIVM AC LVNAEBVRGBENSIVM LONGE CLEMENTISSIMVS NVTRITOR ACADEMIAE NOSTRAE BENIGNISSIMVS, *Pro-Cancellarii* munus ac dignitatem, haud ita pridem clementissime mihi demandauit, mihiq; iniunxit, ut candidati nostri honorum doctoralium exoptatissimi, puto

VIRI

(i) quod thesin pertractat: Ecclesiam in vno & altero esse posse
Lipf. 1699. 4.

VIRI SUMME REVERENDI AMPLISSIMI ATQUE
DOCTISSIMI

OTTONIS NATHANAELIS NICOLAI
Philosophiae Doctoris, ad aedem D.D. Vdalrici & Leuini,
quae apud Magdeburgenses est, Ecclesiae
vigilantissimi

precibus satisfacerem, ipsique more maiorum, Li-
centiam summos in Theologia honores consequendi,
rite conferrem, qui, ut plenius innotescat, cum Le-
cturis hancce vitae suae rationem proprio ita commu-
nicat calamo:

Ego M. OTTO NATHANAEL NICOLAI in lucem
editus sum Coeseliae, qui Misniae vicus est ad radi-
ces montis Petri anno MDCCX. die V. Aprilis. Pa-
trem post fata etiam desideratissimum habui b. M.
SAMVELEM NICOLAI, Ecclesiae ibidem Pastorem.
Matrem veneror vitae superstitem MARIAM CON-
CORDIAM, b. GODOFREDI SCHREYI, Pastoris Klep-
zigensis, Dioeceseos Deliziensis, filiam. Domi iuuen-
tutem formarunt priuati praeceptores; donec puer
nouennis patre orbatus, & ab Auunculo WOLFFIO
HEINRICO SCHREYO, Medicinae Doctore experi-
entissimo susceptus, scholam Delitiensem publicam
frequentare potui, in qua praeceptoribus usus sum
CONSTANTINO NICOLAI, Patruo, ISAACO SEI-
ZIO & M. GODOFREDO BARTHIO Rectore. Anno
deinde MDCCXXII. inter alumnos scholae Thoma-
nae

B

nae

nae Lipsiensis receptus, Magistros habui CHRISTIANVM LVDOVICVM & IOH. CHRISTIANVM HEBENSTREITIVM Conrectores, ac b. IO. HEINR. ERNESTI Rectorem. Inde ad altiora contendens anno MDCCXXIX. ciuibus Academiae Philureae adscriptus sum Rectore Magnifico, b. IO. BURCHARDO MENCKENIO, Jcto & Polyhistore. Philosophiam hic aditurus elegi MÜLLERVM, RÜDIGERVM & WINCKLERVM; Theologiae dogmata imprimis b. IO. GOTTLLOB PFEIFFERVS, post fata celeberrimus, & quem Deus diu conseruet HEBENSTREITIVS, olim Conrector nunc Theologus optimus dedit. Cel. D. SALOM. DEYLINGII quoque priuatis examinibus per quatuor annos interfui, & disputando me exercui eodem duce magno. Nec scholis BOERNERI publicis me subduxi. Oratoriae autem sacrae praecepta tradidit Dn. D. CAROLVS GOTTLLOB HOFFMANNVS, tunc Diaconus ad aedem Nicolai facundissimus, iam vero Superintendens generalis & apud Wittebergenses Theologus celeberrimus, cui omnigenam felicitatem gratissima mente apprecor. Anno MDCCXXXIII. Baccalaureatum Philosophicum, & sequenti anno Magistri gradum Lipsiae obtinui. Peracto sic studiorum cursu alios priuatim instituere incepti: hinc a Venerabili Facultate Theologica concionator Vespertinus in aede Paulina constitutus, conciones meas in templo isto Academico per quatuor & quod excurrit annos habui.

Postea

Postea Naumburgum, Deo autore & Amplissimi illius reipublicae Senatus decreto ad Diaconi in aede D. Wenzeslai munus Anno MDCCXXXIX. vocabar; quo officio per biennium & sex menses functus, Anno MDCCXLII. praeter omnem spem & opinionem a Senioribus templi DD. Vdalrico & Levino apud Magdeburgenses dicati ad nouum munus Ecclesiasticum electus, ab Amplissimo Magistratu Magdeburgico vocatus, & a Potentissimo Borussiae rege confirmatus sum. Naumburgi adhuc anno MDCCXL. die XXXI. Maii in matrimonium duxi IOHANNEM SOPHIAM, virginem filiam Experientissimi Dni. IOH. MELCHIORIS DRECHSLERI Medicinae Doctoris celeberrimi eiusdemque Practici felicissimi, Serenissimi Ducis Saxo-Weisenfelsensis Confiliarii & Archiatri, Physici Naumburgici & Freiburgici &c. cui socro optimo cum coniuge exoptatissima vitam longaeuam Deus concedat, omnesque suos multa felicitate ex alto beet. Scripta, quae in lucem emisi sunt sequentia: Disputatio de ossibus regis Edom combustis Amos. II. 1. Lipsiae habita. Schediasma Philologicum de Angelo Israelitarum per desertum duce Exod. XXIII. 20. 21. Deutscher Unterricht aus allen Glaubens-Articuli unserer Evangelisch Lutherischen Kirche. Meletema Exegeticum de Prophetarum veterum Judaicorum vestitu Zach. XIII. 4. & praesens Disp. Inauguralis de vinea Dei Judaica satis quidem culta, sed admodum sterili. Esa. V. 1. 2.

Praemissis hisce Lectores beneuolos latitare nolimus, Candidatum nostrum examine iam transacto, ad diem XXIV. Octobris dissertationem inauguralem, cuius ipse mentionem fecit, publice esse defensurum, quam subsequutura est ipsa collatio, quos promeruit, honorum. Die autem XXV. eiusdem mensis horis matutinis VIII. IX. & XI. XII. lectiones suas habebit cursorias.

Quam in rem, ut rationi Programmatis nostri satisfiat, MAGNIFICVM ACADEMIAE PRO-RECTOREM, PATRES ACADEMIAE VENERANDOS, GRAVISSIMOS, CIVES GENEROSOS AC PRAENOBILISSIMOS, ea qua decet animi obseruantia ac humanitate hisce inuitamus, velint, prospectata sua in literarum ornamenta beneuolentia, praesentia sua actum hunc sollemnem condecorare. Id quod non modo valde rogamus, sed etiam speramus, imo plane confidimus. DEVS autem T. O. M. hunc quem meditamur actum, in aeternam sui nominis gloriam, in Candidati Summe Reuerendi Salutem, Ecclesiae emolumentum, & Academiae nostrae decus euadere iubeat. P. P. in Academia Iulia Carolina, d. XXIII. m. Octobris ipsa Domin. XXI. p. Trin. A. R. S. clb lb CCXXXVII.

HELMSTADII, A. 1747.

EX OFFICINA SCHNORRIANA,

Handwritten: H. otiss. A. 112, misc. 56